

quitur, quam in nobis ipsis (96). » Unde poeta HORATIUS :

*Cum tua pervidens oculis mala lippus inunctis  
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum ?* (97)

71. His ergo præceptis vir amator honestatis crebrum et assiduum adhibeat usum. Fere enim omnium moralium doctorum elegantiora verba hæc angusta particula comprehendit; unde hic facilius intueri ea poteris, quam si per multorum volumina vagando dispersa colligas. SENECA : « Multorum enim auctorum lectio et omnis generis voluminum aliquod vagum et instabile habet. Verum est namque quod nusquam est, qui ubique est. Vitam in peregrinatione agentibus hoc evenit, ut multa habeant hospitia, paucas amicitias. Idem accidat necesse est iis, qui nullis ingenis familiariter se applicant, sed omnia cursim et propeanter transcurrunt. Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur. Nihil æque sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio. Non venit vulnus ad cicatricem in quo medicamenta tentantur. Non convalescit planta, quæ sæpius transfertur, nihilque tam utile est, quod in transitu prosit; distrahit multitudo librorum. Itaque cum

(96) Cic., 1 Off. 40 et 41. Sunt quædam variæ lectiones minime spernendæ.

(97) Horat., 1 Sal. 3, 25-26.

(98) Senec., Ep. 2, paucis mutatis aut prætermisissis.

(99) Cic., 1 Off. 18.

A legere non possis quantum habeas, satis est habere, quantum legas. Fastidiendis enim stomachi est multa degustare quæ varia sunt et diversa, inquinant, non alunt. Probatos itaque semper lege et si quandoque ad alios divertere libuerit, ad priores redi, et cum multa percurreris, unum excerpe, quod illo die concoquas (98). » Illud enim bonum curandum est, quod voluptate fit melius.

72. Præter hæc etiam ea quæ de moribus præcepta videbis re ipsa et actu complere incessanter satage. TULLIUS : « Ut enim medici vel oratores, quamvis præcepta perceperint, quidquam dignum laude sine usu consequi nequeunt, sic præcepta officii servandi causa traduntur illa quidem, ut facimus, ipsi, sed rei magnitudo usum quoque et exercitationem desiderat (99). » « Adversamini vitio, ut ait BOETIUS in libro *De consolatione*, virtutes colite, ad superna spe animos sublevate, humiles preces in excelsa porrigite : quæ si rectæ sunt, inefficaces esse non possunt magna siquidem vobis est, si dissimulare non vultis, necessitas indicta probitatis, cum ante oculos versemini iudicis cuncta cernentis (100). »

(100) Extrem., cap. paucis mutatis, inter quæ notamus: *Adversamini vitio, loco adversamini vitia et ad superna spe animos sublevate loco ad rectas spes animum suble.* Hic locus Boetii deest in editione ubi post *desiderat* additur in fine : *Explicit liber Moralium.*

## VEN. HILDEBERTI

LIBELLUS

### DE QUATUOR VIRTUTIBUS VITÆ HONESTÆ.

(E ms. Colbertino. n. 6327. Non dum editus.)

#### MONITUM

Satis superque fuerit solerti lectori præmissam Moralem de honesto et utili V. Hildeberti Philosophiam perlegisse, ut subsequens poema De quatuor virtutibus vitæ honestæ nihil aliud esse deprehendat, quam synopsis sententiarum et præceptorum moralium ab ipso in præcedenti tractatu collectorum ad suum ipsius commodum, aut etiam ad institutionem juvenum, quibus ejus lucubrationes ad mores informandos tradebantur; quod quidem de se testatur Petrus Blesensis, epist. 103, ad R. archidiaconum Nannetensem de puerorum institutione, his verbis : « Profuit mihi quod epistolas Hildeberti Cenomanensis episcopi, styli elegantia, et suavi urbanitate præcipuas firmare et corde tenus reddere adolescentulus compellebar. » Quidni ergo et ejus carmina ad juvandam puerorum memoriam composita, et quæ, teste Orderico Vitali ecclesiasticæ historiæ lib. x, pag. 770, non solum in Gallias spargebantur, sed etiam Romam « transferebantur, et dicacium scholis, » ut ait, « et Didascalis Quiritum admiranda videbantur; » et etiam illis fortasse memoriter discenda imponebantur. Hoc autem poema eruimus e manuscripto Colbertino n. 6327, annorum circiter quingentorum, quod ex subjecti similitudine præcedenti libro duximus immediate subjungendum. Nihil autem hic ad marginem notavimus, quia quot versus, tot fere sententiæ.

Quatuor eximias virtutum proprietates  
Complures docti disseruere viri;  
Quarum se formis si mens humana coaptet,

C Perfectum faciet integra vita virum.  
Officiis igitur propriis descripsimus illas,  
Fiat ut his apte morigeratus homo.



## DE PRUDENTIA.

Qui cupis ergo tuos regat ut prudentia mores,  
 Visque sequi quo te duxerit ista comes,  
 Tunc poteris vitam componere per rationem,  
 Si penses meritis singula quæque suis.  
 Nec te multorum seducat opinio, sed rea  
 Ut natura sua continet appetia.  
 Sual etenim quædam quæ creduntur bona, nec sunt,  
 Saut quæ creduntur, constat et esse bona.  
 Non mireris opes, quas amissurus habebis,  
 Nec magni pendas quidquid abire potest.  
 Non tua sic serves, tanquam custos alieni,  
 Sed tanquam Dominus, utere rite tuis.  
 Si sapiens fueris, te semper habebis eundem,  
 Et cum res variant, tu tamen ipse mane.  
 Utque manet varius rerum, vel temporis ordo,  
 Sic tu non mutes, sed magis aptifices.  
 Clausa manus pugnum, palmam compesticit aperte.  
 Et diversa gerens, est tamen ipsa manus,  
 Sic sapiens sese diversis rebus adaptat,  
 Nec tamen hinc mores alterat ipse suos.  
 Esto subtilis discretor consiliorum,  
 Nec cito falsa levi credulitate probes.  
 De dubiis temere cito diffinire cavebis,  
 Ne sententia te præcipitata notet.  
 Nil affirmandum, quia quæque simillima veris,  
 Non et continue vera probata liquent.  
 Sicut ab adverso quæ primo falsa putasti,  
 Sæpe fit ut post hæc vera fuisse probes.  
 Sæpe quidem veri speciem sibi falsa coaptant,  
 Sæpeque sub falsi tegmine vera latent.  
 Levis adulantem frons aspera celat amicum;  
 Sic rerum formis fallimur ambiguis.  
 Sed qui prudens est inter tot nubila rerum,  
 Cautus inoffenso calle tenebit iter.  
 Si fueris prudens, venientes prospice casus,  
 Proponens oculis quæque futura tuis.  
 Nil tibi sit subitum, sed quæ contingere possunt.  
 Omnia sint animo præmeditata tuo.  
 Prudens non dicit: Non hæc ventura putabam  
 Sed velut expectans, atque paratus adest.  
 Prætolatur enim, non ut suspecta veretur,  
 Ne tanquam dubitet, sed quasi certa cavet.  
 Inde fit ut nequeant venientia lædere mentem,  
 Quæ ventura prius cura cavere fuit.  
 Incepturus opus summam spectare memento  
 Incipe; sed læta percipienda manu (1).  
 Ultima concordent primis, nam sine sinistro  
 Sunt quædam, quæ nec cœpta fulsse decet.  
 Falli non poterit sapiens, nec fallere quæret.  
 Hinc male versutus, inde vocatus bebes.  
 Sic a iudiciis sapientis opinio distet,  
 Quodque putat debet legis habere vicem.  
 Dedignare tuos quasi quædam somnia sensus  
 Ludere, nec mentis sint vana pensa tuæ.  
 Quorum ludibriis si delectaris ineptis,  
 Omnia disponens, tædia sola feres.

(1) Forto, *lentu perſcienda manu.*

A Sed rata sint et certa tuæ molimina mentis,  
 Inque aliquid solida se gravitate premant.  
 Seu tua mens quærat, deliberet, aspiciatve,  
 A veri nunquam tramite flectat iter.  
 Quin nec sermo tuus fluxu distillet inani,  
 Sed sit quod dicis, utile pondus habens.  
 Suadeat, aut moneat, soletur, præcipiatve,  
 Nil vacuum sit, nil utilitate carens.  
 Laudandi parcus, culpandi parcior esto;  
 Peccatur, si non adit utrinque modus.  
 Laude tua quemquam meritum non gratia donet,  
 Laude tua careat, non homo, sed vitium.  
 Causis, non studiis testem te convenit esse.  
 Non quis homo, sed quæ causa sit inspicias.  
 Ad promittendum noli festinus haberi,  
 Promissoque decet largius ut sit opus,  
 Rarior in verbis, in factis amplior esto,  
 Et nisi consilio præduce nulla geras.  
 Per tria tempora se dispensat mens sapientis,  
 Præteritum, præsens, posteriusque sequens.  
 Præteritum recolas, quæ sunt ventura videto,  
 Quæ præsentia sunt cum ratione gere.  
 Perdit enim vitam qui negligit anteriora,  
 Venturi negligens, captus uterque ruit.  
 Proponet vero sibimet solertia prudens,  
 Hinc bona venturi temporis, inde mala.  
 Ut mala respectu fiant leviora bonorum,  
 Et bona respectis sint moderata malis,  
 Non indiscrete semper verseris in actu,  
 Sed requiem menti des aliquando tuæ.  
 Non tamen illa situ requies torpescat inani,  
 C Sed tua sint studiis otia plena probis.  
 Nam sapiens nunquam manere per otia novit.  
 Laxat, non solvit corda rigore suo.  
 Tarda citat, sedat turbata, ligata resolvit;  
 Ardua complanat, aspera blanda facit.  
 Novit enim quid, quaque via tentare sit aptum  
 Et quæ sit cœptis summa futura suis.  
 Omnia stultorum molimina consiliorum  
 Mente videt celeri, destruit arte levi.  
 1000. Per partem totum capit, ex propiore remo-  
 Abdita de patulis, grandia de minimis. [tum,]  
 Non te permoveat grandis persona loquentis,  
 Nec tam quis, quam quid prædicet, ipse vide.  
 Non quantis placeas, sed quibus suspiciendum.  
 Paucorum potius gratia sæpe decet.  
 D Quære quod invenias, quod possis dicere disce,  
 Appete quod deceat appetuisse bonos.  
 In tam sublimi nunquam te culmine ponas,  
 In quo stando tremas, et regradando cadas.  
 Ardua sunt semper suspecta timore ruinæ;  
 Tutius in plano calle tenetur iter.  
 Cum tibi prosperitas arriserit undique rerum,  
 Tunc cautela tibi major habenda venit.  
 Tunc velut insidiis hostilibus undique septo  
 Uti consiliis sit tibi cura bonis.  
 Ut motus animi stricta modereris habena,



Ne des impetui libera frena tuo.  
Et quasi qui tremulo vadit per lubrica gressu,  
Sic passu cauto siste premendo pedem.  
Ut circumspiciens qua vel quo progrediaris,  
Evadas vitæ multa pericla tuæ.

## DE FORTITUDINE.

Si cui vere subest animi constantia fortis,  
Fidenter vivit, liber et intrepidus.  
Libertas alacrem faciens, fiducia firmum,  
Et bene conscia mens haud trepidare sinit.  
Grande bonum mentis firmæ, bene quæ sibi constans,  
Vivendi finem sustinet absque metu.  
Si sis magnanimus, lædi te posse negabis,  
Pectore qui forti cuncta sinistra premes,  
Deludes ridens quando deserviet (2) hostis;  
Dices: Non læsit, lædere sed voluit.  
Cumque tuis manibus fuerit contraditus ille,  
Et tibi vindictæ videris esse locum,  
Ultio sufficiens erit ulcisci potuisse;  
Nam satis est hosti parcere posse tuo.  
Nobile vindictæ genus est ignoscere victo;  
Si veniam tribuas, jam satis altus eris.  
Nullum subfodias, nullum sub murmure rotas,  
Oderis infidias egrediendi palam.  
Prælia non facies, si non indixeris ante;  
Invalidum siquidem furta dolique decet.  
Non est magnanimus temere subiisse pericla,  
Nec rursus pavido pertimuisse metu.  
Nam nisi mens fuerit corruptæ conscia vitæ,  
Nil est unde sibi possit inesse timor.

## DE TEMPERANTIA.

Nunc tibi virtutis dabimus præcepta modestæ,  
Quæ motus animi temperat atque premit.  
Quam si sectaris, fluitantia quæque recido,  
Et desideriiis insere frena tuis.  
Perpice quid natura petat, quid avara cupido,  
Illi cedatur, hanc cohibere decet.  
Si moderatus sis, illo venturus es usque,  
Ut possis etiam tu satis esse tibi.  
Qui satis est sibi met, dives natus fuit ille,  
Ille suas secum detulit ortus opes.  
Has nec prædo sibi, nec fur auferre valebit.  
His quantum vivet perfruiturus erit.  
Sit modus optandi, modus et lex sit cupiendi,  
Restrignant libitus addita frena vagos.  
**1001** Absint blanditiæ, quibus irretita voluptas  
Occultis animum pertrahit illecebris.  
Non indigeries unquam subrepat edenti,  
Non se potanti misceat ebrietas.  
Inter convivas hoc observare memento,  
Ne quem forte graves sobrietate tua.  
Ne quasi sanctior his, illos damnans, videaris,  
Dum simili vita non imitaris eos.  
Non nimium sis deliciis præsentibus hærens,  
Et quæ non adsunt, non inhiando petas.  
Mensa tibi parvo constet, non inde voluptas

(2) Forte *deserviet*.(3) Sic in tractatu præcedenti de honesto et utili:  
*Nec domo Dominus, sed Domino domus debet hono-*

**A** Est quærenda tibi, sed cohibenda fames,  
Non sapor, imo fames debet pulsare palatum,  
Nec se distendi vult stomachus sed ali.  
Quam minimo poteris redimatur dira cupido  
Quæ magis ut non sit, debet adesse labor.  
Et sit divinum quasi conformatus ad instar,  
In quantum fas est exue carnis onus.  
Si bene sobrius es, non sit tua splendida cultu,  
Sed præstans frugi commoditate domus (3).  
Nec vult sobrietas, sed nec decet ut domus addat  
Notitiam Domino, sed Dominus domui.  
Non tibi sit studii quod non sis velle videri,  
Nec te plus quam sis sinxeris esse quod es.  
Observa ne sit tibi parcimonia sordens,  
Ne sit paupertas squalida, munda parum,  
**B** Ne sit simplicitas torpens hebeludine stulta,  
Ne mansuetudo languiditate tepens.  
Non sint angustæ tibi res, licet exiguæ sint.  
Paupertas hilaris ditia regna valet.  
Non tua parva tibi, nec grandia sint aliena;  
Sit gratum quod habes, sufficiensque tibi,  
Turpia vitabis prius ac contingere possint,  
Plusque tibi quam tu; nemo verendus erit.  
Cuncta ferenda tibi, nisi quæ sint turpia, crede.  
Turpia sunt autem læditur unde pudor.  
Nec solum moneo te turpia facta cavere  
Turpia sunt etiam verba cavenda tibi.  
Quorum si laxet perversa licentia frena,  
Paulatim fracto vita pudore fluat.  
In verbis phaleras non quære, sed utilitatem,  
Tectaque mellitis sint tibi grata magis  
**C** Amittanda (4) tibi joca sunt post seria quædam,  
Sed tamen et dignis ipsa gerenda modis.  
Ne se majestas, ne se reverentia læsam  
Sentiat, aut dampnum perferat inde pudor.  
Nam culpabilis est risus, si vel nimius sit,  
Vel puerile fluens, vel muliebre sonans.  
Sunt etiam risus quos gratia non comitatur,  
Et quibus invisus efficiatur homo.  
Scilicet aut clarus dans meritis signa superbe (5),  
Aut furtim factus corda maligna notans,  
Aut a deliciis rivo deductus iniquo,  
Quem solet alterius sæpe creare dolor.  
Si videas igitur joca convenientia rebus,  
Cautus in his etiam te reverenter habe.  
Ut te nec quisquam nimis nolet asperitatis,  
**D** Nec tanquam vilem spernere jure queat.  
Urbanus non histrio sis, mediique leporis;  
Dente sales careant, scurrilitate joci.  
Sermo clamorem vitet, risusque cachinnum,  
Incessus strepitum, cuncta modestus ago.  
Si tempus moneat curas laxare quiete,  
Illa quies sane non tibi torpor erit.  
Cumque jociis alii sese ludisque resolvunt,  
Tu sancti quidquam, vel pietatis agas.  
Si bene sobrius es, prorsus vitetur adulans,

*stari cap. De temperantia.*(4) Forte *admiscenda, vel admittenda.*(5) Forte *mentis signa superbæ.*



Cum tibi dicit ave, sicut ab hoste cave.  
 Grandis adulantum labor est vitare susurros,  
 Nec male molliti carminis arte capi.  
 Vix quisquam tam sobrius est, tam durus et asper,  
 Horum blanditias ut superare queat.

1002 Quæ veluti quadam modulaminis arte po-  
 tentes.

Instar Syrenum fortia corda premunt.  
 A quoquam turpi tam sit tibi turpe probari,  
 Ac si te propter turpia quisque probet.  
 Assentando tuum nullus mereatur amorem,  
 Nullius simili tu mereare modo.  
 Non audacia te levis, aut jactantia culpet.  
 Hæc ultra metam sobrietatis eunt.  
 Tu moneare libens, patienter corripere,  
 Quidquid adesse potest utilitatis ama.  
 Si quis te merito quia peccasti reprehendit,  
 Scire debes quoniam profuit ille tibi.  
 Quod si non merito non peccantem reprehendit,  
 Emendare tamen te voluisse puta.  
 Levia culpator fera verba ministrat amarus ;  
 Levia plus semper quam fera verba time.  
 Exsulta quoties pravis infestus habebis,  
 Nec parcunt famam dilaniare tuam.  
 Summa tibi sit laus a pravis vituperari ;  
 Grande boni signum displicuisse malis,  
 Iste quidem studeas vitio fore liber ab omni,  
 Et vitæ custos providus esse tuæ.  
 Alterius vero nec scrutator curiosus,  
 Nec si delinquat censor acerbus eris.  
 Imo corripies non exprobrando reatum,  
 Jucundis semper aspera præveniens.  
 Nec sit difficilis clementia corripientis,  
 Corrupto veniæ pandere velle suum.  
 Sobrius id solum cupiat quod prosit habere,  
 Id solum discat quod sibi scire juvat.  
 Quædam profuerit, quædam didicisse juvabit  
 Sunt quæ non prosunt, imo nocere solent.  
 Nec sustolle nimis, nimium nec deprime quemquam,  
 Sanius est digno ponere quemque loco.  
 Cum dicent alii studeas audire libenter ;  
 Dum monitus fueris, dicere promptus eris.  
 Non sis difficilis vel respondere roganti,  
 Nec contententi cedere difficilis.  
 Expedi interdum pravis quoque cedere dictis,  
 Ne lis insurgat deteriore malo.  
 Corporis aut mentis motus ne sint inhonesti,  
 Pervigil incumbat sollicitudo tibi.  
 Nec quia præter te testis non assidet alter,  
 Idecirco tibi sit cura pudorque minor.  
 Nescio cur alium potius quam te verearis,  
 Nil refert an tu videris, an populus.  
 Tu tibi sis populus, tu curia, tuque theatrum,  
 Sit tibi coram te, turpia velle, pudor.  
 Nobile, non leve cor, constans, non sæpe mens sit,  
 Nec bona cognatis sint vitata malis.  
 Ut cognata sibi sunt virgultum, foliumque,

(6) Forte loquendi.

A Mobile stat tamen hoc, illud inane fluit.  
 Sic immobilitas est, non constantia saxo ;  
 Utraque sed speciem mutuat alterius.  
 Ergo divilet constans immobilitatem,  
 Mobilis observet, ne levitate fluat.  
 Mobilitas constans, constantia mobilis esto,  
 Sic erit alterius utraque quadra bonis.  
 Omnibus æqua te, nec contemnendo minores  
 Nec majores te, recte gerendo, timens.  
 Nullis blanditor, sed cunctis esto benignus  
 Privatus paucis, omnibus æquus eris.  
 Muneris impensi videas ne sis repetitor,  
 Redditor accepti negligus esse cave.  
 Judicium tibi sermone severius, atque  
 Vita, quam vultu durior asperitas.

B Vindicta clemens, detestans impietatem,  
 Irasci tardus, parcere promptus eris.  
 Non tibi sit studio propriam diffundere laudem,  
 Nec sit supplicio laus aliena tibi.  
 Crimina, rumores, morsusque et suspensiones,  
 Non tibi sint ulla suscipienda fide.  
 1003 Maxime spernantur, qui ficta simplicitate  
 Ut noceant aliis tecta venena ferunt.  
 Firmus in adversis, humilis, cautusque secundis  
 Utere, propositum non variare tuum.  
 Tector virtutum sis, ut quidam vitiorum,  
 Nec magni valeat gloria vana tibi.  
 Nullius incitiam spernas, patiensque loquentum

[(6),

Rarius ipse loqui discere, tacere magis.

C Non spernas hilares, quamvis sis serius ipse  
 Præbe te docilem, discere semper ama.  
 Nec te jactando quæ nosti pande libenter.  
 Hæc vetet ut discat non tibi nota, pudor.

DE JUSTITIA.

Quid nisi naturæ tacitum perpendere fœdus.  
 Justitiæ nomen nos ratioque docet ?  
 Quo rationales connexi fœdere cœtus,  
 Alterna junctum se tueantur ope.  
 Hoc igitur fœdus, quo nos natura ligavit,  
 Quo status humanæ pacis et ordo manet.  
 Quoque Deus colitur, quo et homo reverenter ama-

[tur,

Nil nisi justitiam jure vocare decet.

Hic non est quod quis dijudicet, expediatve,  
 Expediet quidquid illa monebit agi.

D Hanc igitur quisquis sectando vis adspici,  
 In primis metuas, hortor, amesque Deum,  
 Cujus amore calens, ex hoc imitaberis illum,  
 Ut nulli noceas, imo juvare velis.  
 Et tunc vir justus populo diceris ab omni,  
 Tunc charus cunctis et venerandus eris.  
 Justus enim quo sis non solum lædere nullum,  
 Imo lædentes ipse juvare stude.  
 Nondum justitiæ laus est non esse nocentem,  
 Hinc tamen incipitur ad meliora gradus ;  
 Scilicet ut prodesse velis, ubi lædere cessas,



Raptores cohibens, reddere rapta jubens.  
 De dubie dictis ne cures nectere litem,  
 Sed mens dicentis inspicienda magis.  
 Nil firmare majus tibi quam jurare ratum sit,  
 Vim sacramenti debet habere fides.  
 De causa veri quoties tractatur apud te,  
 Est servanda fides, religioque tibi.  
 Nam licet ipse Deum nolis jurando vocare,  
 Verba tamen verax ad tua testis adest.  
 Si minus hoc etiam, nec sic fuerit, tamen æquum,  
 Ut præter verum justitiamque geras.  
 Si salvare fidem nequeas, nisi falsa loquendo.  
 Sic quoque (7) salvandam dicimus esse fidem.  
 Excusare magis debes, quam fallere dici,  
 Dum constat redimi falsa loquendo fidem.  
 Nam cum causa subest quæ digna silentia poscit,  
 Justus secretum desepelire cavet ;  
 Quippe tacenda tacet, dici debentia dicit :  
 Sic sibi congrua pax, sic sibi tuta quies  
 Dumque alios vincunt, alii vincuntur ab illo,  
 Et solida regnans mentis in arce sedet.  
 Hæc igitur vigili consecrans sedulitate,  
 Supremum poteris lætus adire diem.  
 Mundi mœsta videns hilaris, labentia firmus,  
 Turbida tranquillus, ultima non metuens.  
*De mensuris singularum virtutum.*  
 His igitur formis virtutes commemoratas,  
 Perfectum constat reddere posse virum,  
 1004 Si studeat certo vivendi sine tenere  
 Singula quem virtus debet habere modum.

## DE PRUDENTIA.

Jam si transiliat proprios prudentia fines ;  
 Fies suspectæ calliditatis homo.  
 Diceris hinc secretorum scrutator avarus,  
 Quique nimis noxas discere quasque velis.  
 Attonitus, semper meditans et suspiciosus,  
 Invisa cunctis aspiciere nota ;  
 Cujus et alta nimis versutia suspiciosum,  
 Audet ut admissum quodlibet inveniat,  
 Protense digito plenus monstraberis astu,  
 Tergiversator duplicitate potens.  
 Invertens verum, debellans simplicitatem,  
 Crimina commentans artificante dolo.  
 Denique conquiret tam detestabile nomen,  
 Ut malus a tota gente voceris homo.

(7) Forte leg. Cautè accipe et et sic neque.

A His igitur maculis prudentia jure vocatur,  
 Si non legitimum norit habere modum.  
 Est autem modus hic libra meditatus utraque,  
 Ut nil versutum, nil in ea sit hebes.

## DE MAGNANIMITATE.

Magnanimum si te nimium fiducia tollat,  
 Redditur inflatus, turbidus atque minax ;  
 Neglectoque modo quo se composuit honestas,  
 In nimis altum se voce manuque rapit.  
 Sub rectisque superciliis, truculentus agendo,  
 Pacem perturbans, hinc ferit, inde fugat.  
 Sed licet impugnet perrupto quælibet ausu,  
 Expugnare tamen non sibi cuncta licet.  
 Incurret quædam, quorum nimis aspera moles  
 Illius vires in graviore premat.  
 Scilicet et durum finem miserandus obibit,  
 Vel lugubris illi fama superstes erit.  
 Ergo magnanimum (8) cordis mensura tenetur.  
 Nec nimis audendo, nec metuendo nimis

## DE SOBRIETATE

Sobrietas vero caveat nec parca nimis sit,  
 Nec timidam stricto contrahat ungue manum.  
 Ut speculum membris ipsis adhibendo, quibusque,  
 Circumcisa nimis feteat integritas.  
 Sobrietas igitur medio se calle coercens,  
 Vitet luxuriam, vitet avaritiam.  
 Ne vel luxuries dissolvat prodiga quemquam,  
 Vel per avaritiam sordida vita notet,

## DE JUSTITIA.

Justitiæ virtus vitis obsessa duobus,  
 Inter mollitiem sævitiamque sedet.  
 C Cura sit ergo vigil, ne vel ferus esse timendo,  
 Indulgeas nimium prava licere sinas.  
 Vel dum ferventi studio delicta recidis,  
 Nulli curantem parcere nullus amet.  
 Sed tunc justitiæ censura videbitur apta,  
 Et tali fiet regula recta modo.  
 Si disciplinam nec lenta remissio vilem,  
 Nec ferus invisam fecerit esse rigor.  
 Qui vult ergo suam digne componere vitam,  
 Ut sibi vel multis utilis esse queat,  
 Hæc præscriptarum virtutum formula cordi  
 Adsit discreta lege tenenda sibi.  
 Ut cum personis causas, loca, tempora pensans,  
 Curet ad hæc aptis se variare modis.

(8) Forte magnanimi.

## IN TRACTATUM SEQUENTEM MONITUM 1005-1000

Licet hunc Tractatum in optimo codice manuscripto monasterii B Mariæ de Lyra in provincia Normanniæ sexcentorum circiter annorum sub nota E. invenerimus medium inter plura Venerabilis Hildeberti indubitata opera, et eadem, ut apparet, manu exaratum, indeque illum ut genuinum illius opusculum censere potuerimus, unica tamen lineola ipsi in præfato manuscripto præfixa, quominus illum publicæ luci daremus, non nihil remorata est. Illa scilicet ipsa est quæ ad caput Elucidarii sancti Anselmi inter Opera ejus a nostro Gerberonio plures ante annos edita sic legitur : « Sæpius rogatus a condiscipulis meis quædam quæ-tiunculas enodare, importunitati illorum non fuit facultas... » Sed, cum in præfato manuscripto Lyrano sit illa lineola per aliam lineam superductam delata, illam ab aliquo forte amanuensi Elucidarium S. Anselmi describere parato, suamque statim mutante consi-